

oriatur, praesentem litteram ad petitionem partium sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum et datum Dresden in nostro provinciali placito anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXVIII<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. Kal. Augusti, praesentibus testibus infra scriptis dominis Ticemanno iuvene langravio<sup>2)</sup>, Ottone burgravio de Donin, Ekehardo de Milbuz, Alberto dapifero de Burne<sup>3)</sup>, Heinrico de Waldowe, Rudegero Schachowe<sup>4)</sup>, Heinrico de Gain<sup>5)</sup>, Vlrico de Papirzean<sup>6)</sup> et aliis nobiles et militibus fide dignis.

Nach zwei Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen, an welchen mit grünen und gelben seidenen Fäden befestigt das grosse Reitersiegel des Markgrafen Heinrich sich befindet.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 34 sq.

2) *Langravio* B. 3) *Burnis* B. 4) *de Schachowe* B. 5) *Gane* B. 6) *Papirschen* B.

### No. 247. 1278. 13. Aug.

*B. Withego trifft mit Zuziehung des Capitels Bestimmungen über die Verwaltung der Präbenden und Obedienzen und die von dem Rentmeister zu bestimmten Zeiten zu gewährenden Gelder und Naturalien.*

Nos Witigo dei gratia Misnensis episcopus notum facimus universis et praesenti pagina protestamur, quod cum ex mala administratione praebendarum ecclesiae Misnensis singuli canonici eiusdem ecclesiae obmittendo vices suas, confusiones hinc inde ex divinatorum obmissione multae et plurimae orirentur, clamosa insinuatione hominum ad nos perveniente accessimus ad capitulum Misnense. Investigata causa supradictae confusionis adiunctis nobis a dicto capitulo Bernhardo praeposito maiori, Cunrado archidiacono Nisicensi, Theoderico praeposito Budissinensi et Cunrado custode canonicis Misnensibus, promisit antedictum capitulum et singuli de capitulo in virtute sanctae obedientiae fide nihilominus super hoc ab omnibus et singulis fratribus capituli in nostris manibus praestita corporali, se gratum et ratum habituros et servaturos, quicquid per nos episcopum Witigonem, B. praepositum maiorem, C. archidiaconum Nisicensem, Th. praepositum Budissinensem et C. custodem arbitros antedictos ad evitandam huiusmodi confusionem, et ad tempestivam administrationem praebendarum suis terminis faciendam ordinatum fuerit et diffinitum. Nos igitur una cum coarbitris nostris diligenti discussione praehabita et tractatu de tempestiva administratione praebendarum suis terminis singulis canonicis facienda, sic statuimus, ordinamus et diffinimus, quod cellerarius fratrum capituli, qui pro tempore fuerit, hiemalem annonam bonam ante Epiphaniam domini singulis canonicis integraliter ministrabit; aestivalem ante Invocavit, census consuetum in festo Walpurgis scilicet duo talenta cum obedientiis, quae debentur eodem termino, in festo beati Michaelis tria talenta, in festo beati Martini obedientias consuetas, item alias obedientias suis terminis sine diminutione similiter ministrabit. Si vero dictus cellerarius annonam supradictam et obedientias supradictas modo supradicto venienti quolibet termino supradicto postea infra quatuor septimanas integraliter non ministraverit, nulla admonitione praemissa cadat a celleraria ipso facto. Item omnes et singuli obedientiarii denarios consuetos singulis fratribus capituli venientibus terminis suis, postea infra quatuordecim dies modo consueto sine diminutione qualibet persolvent. Qui vero negligens fuerit in quolibet termino supradicto, ipso facto ab obedientia sua cadat et in communes usus convertatur fratrum capituli integratorum. Sane si dictus cellerarius vel dictus obedientiarius post terminum taliter neglectum se intromiserint